

qualis esse debeat, habetur in cap. ego Berengarius. de consec. dist. 2. Circa hæc tamen dubitari potest, an qui in aliqua hæresi deprehensus est, cum sponte ad fidem Catholicam redire voluerit, cogendus sit omnem abjurare, & detestari hæresim: an satis erit eam solam abjurare in qua fuerit deprehensus, gloss. in cap. accusatus, §. eum vero, in verbo simpliciter de hæreticis, lib. 6. tenet, quod non tenetur omnem hæresim abjurare: sed eam solam, de qua fuerat accusatus, & dicit glossa ibi suam sententiam elici ex textu illius, §. Eum vero; quia textus ille loquitur sub conditione si generaliter omnem hæresim abjuravit. Si autem teneretur omnem hæresim abjurare, non illud sub conditione reliquisset. Idem docet glossa in præfato cap. Ego Berengarius, in dist. omnem hæresim, & probat gloss. ista hanc suam sententiam per cap. Presbyter, si à plebe. 2. quæst. 5. Ego quidem istorum opinionem sub hoc sensu libenter suscipio, ut hæreticus nullo jure expresso teneatur, cum ad Ecclesiam redit, omnem hæresim abjurare, & detestari: quia (ut ego existimo) nullum tale est adhuc latum jus, quod hæreticum de una hæresi accusatum obliget ad abjurandum omnem hæresim. Verum licet hæc ita se habeant, non tamen obstant, quin ob aliquam justam causam possint Inquisitores hæreticum cogere, ut non solum eam, de qua accusatus erat: sed omnem in genere hæresim abjuret, & detestetur. Nam variis succedentibus causis, & occasionibus ad multa potest homo à suo superiori cogi, ad quæ alias non cogetur. Et certe (ut clarius meam proferam sententiam) semper ita faciendum esse ego censerem, & melius puto, ut omnem cogatur hæresim abjurare. Quia hoc magis publicæ utilitati convenit, ne cuilibet hæretico millies in aliam, & aliam hæresim labendi præstetur occasio, cum hoc sine periculo mortis se posse facere intelligat. Nam (ut ex illo, §. Eum vero, aperte colligitur) qui non in eandem, quam prius abjuraverat, sed in aliam labitur hæresim, non dicitur relapsus, nec poena relapsi punietur, si prius non omnem abjuraverat hæresim: sed eam solam, in quam lapsus fuerat. Præterea omnes fere hæreses sunt sibi invicem connexæ, quia licet facies habeant diversas, caudas tamen adinvicem habent colligatas, ut dicitur in cap. Excommunicamus. 1. & 2. extra de hæreticis. Dato uno inconvenienti (ut ait Aristoteles) multa contingunt. Ex uno errore multi necessarii derivantur, tamquam rivuli ex fonte. Hoc aperte experientia docente in Luthero didicimus. Hic enim omnes Pontificis Indulgentias contemere cepit, & hinc suorum errorum prædicationem est auspicatus. Deinde hoc non contentus, eo usque insanit, ut purgatorium non fuerit veritas negare. Inde coactus fuit negare necessariam esse satisfactionem ullam pro peccatis, & solas duas admittit poenitentiae partes. Post hæc videns urgentissimas rationes, quæ illum, ut ab errore discederet, impellebant, dixit nihil post culpæ remissionem, manere in peccatore ad cuius solutionem remissa culpa teneatur. Vides jam quam connexæ, & concatenatæ sint hæreses. Et propter hanc causam necessarium est ut quisquis unam aliquam abjurat hæresim, abjuret etiam eas omnes, quæ ex illa derivantur, & quæ illi perpetuo federe conjunguntur: quia non potest illa sine aliis deseri. Et quia non potest facile statim agnosci, quicquid mali ex aliqua una hæresi deduci potest, ideo melius est, ut omnem prorsus abjuret hæresim, qui unam abjurare debet. Si quis tamen arguat contra hæc per textum cap. Presbyter qui à

plebe. 2. quæst. 5. inane prorsus erit argumentum: quia res valde dissimiles, sunt hæc & illa. Illic enim agitur de purgatione delicti, qua in re verum esse fateor, neminem teneri, nec debere cogi ad purgandum se: nisi de illo solo delicto, de quo fuerat infamatus. Hic autem in præsentiarum nihil nunc agimus de purgatione: sed de abjuracione hæresis, quæ est res valde diversa.

Nam & ego etiam fateor neminem posse cogi, ut purget se de hæresi de qua non fuerat infamatus. Deinde & si eadem esset ratio de abjuracione, & de purgatione faciendâ, nihil contra nos ageret textus ille: quoniam alia crimina non sunt sic connexa, & colligata quemadmodum hæreses, & ideo in aliis non oportet se de omnibus purgare: sed solum de illo de quo fuerat infamatus. Secundum testimonium sui constantis animi, & non simulati, sed veri redius ad fidem est, publica promissio, & juramento firmata non recedendi ab ea fide, quam tunc constituit, sed in ea perpetuo usque ad mortem perseverandi. Qui enim se aliquid facturum jurat, satis testatur id sibi in voto esse, & non simulatæ: sed vere se id promississe. Nam (ut ait Paulus Heb. 6.) omnis controvertentiæ finis est juramentum. Forma hujus promissionis & juramenti habetur in cap. Quoties. 1. quæst. 7. Et (ut nullus relinquatur suspicioni locus) jurabit insuper, quod illum abjuracionem, & hanc promissionem, quam juramento confirmavit, non facit timore mortis, aut alicujus poenæ temporalis: sed solum ex odio, & detestatione hæresis, & ex amore fidei Catholicæ. Quibus omnibus recte peractis, hæreticus, qui deserto pristino errore ad fidem Catholicam redire voluerit, & misericordiam congruo tempore petierit, in Ecclesiæ communionem recipietur. Hic autem abjuracionis ritus, & modus recipiendi ad Ecclesiæ confortium hæreticos, non recens est, nec à trecentis annis repertum, nec pure humanum inventum, quemadmodum Lutherus dicere solet: sed ante mille annos, & ex ipsis (ut suspicari licet) Apostolorum vestigiis descendens, & Deo Ecclesiæ suæ id inspirante (ut credere oportet) in variis Conciliis ordinatum. Concilium Arelatense secundum, cap. 9. suorum decretorum, hanc disciplinæ regulam statuit. „Novatianum in communionem

recipi non debere, nisi suscepta poenitentia, incredulitatis præteritum damnet errorem.“ Concilium Nicænum sub magno Constantino celebratum, cap. 8. suorum decretorum de eisdem Novatianis hæreticis loquens, ait: „Si qui voluerit venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit sancto Concilio, ut ordinetur, & sic maneat in clero. Ante omnia autem hanc habeant confessionem, quam per scripturam exigi oportet, ut fateantur se communi consensu Catholicæ Ecclesiæ statuta observatos, id est, communiter carutos se, & his qui forte secundas nuptias experti sunt, vel his, qui persecutionis tempore lapsi sunt, quibus tamen lapsus poenitentia modus, & tempus ascriptum est, ut in omnibus sequantur ea, quæ in Ecclesia Catholica observantur.“ Hæc Nicænum Concilium. Multo clariora sunt, quæ in Ephesina Synodo sub Theodosio Juniore, & Celestino Papa celebrata habentur, & magis plene explicant eum modum, quem in recipiendis hæreticis, Catholica nunc servat Ecclesia. Nam in Epistola, quam præfatum Concilium misit Nestorio hæretico Episcopo Constantinopolitano, hæc quæ sequuntur, habentur. „Non autem sufficit, vel tuæ Religioni, tantummodo fidei symbolum confiteri,

quod

quod expositum est per idem tempus (Spiritu sancto largiente) & veniendo & magno Concilio apud Nicæam celebrato. Hoc enim non intellexisti, nec recte interpretatus es, quinimo perverse, licet sono vocis eadem verba protuleris. Sed consequens est etiam, jurejurando fieri te, quod anathematizes quidem tuam, polluta, & prophana dogmata: sentias autem, & doceas quæ nos universi per orientem, seu occidentem Episcopi, & magistri, præfulesque populorum credimus & docemus.“ Hæc in Concilio Ephesino. In quibus verbis aperte monstratur is modus, quem in recipiendis hæreticis, qui ad fidem redire volunt, Catholica nunc tenet Ecclesia. Ipsa tamen abjuracionis forma, quam nunc Inquisitores fidei injungunt hæretico respicienti post suæ hæresis confessionem, & ante poenitentiam, multo plenior est, & copiosior: quippe quæ omnem præcludit hæretico, errandi in posterum libertatem, sub tali verborum serie. Ego. N. recognosco, & confiteor coram vobis Dominis, me errasse in prædictis, & super his in corde contrito, & humiliato abolutionem, & poenitentiam requiro, & hanc hæresim, & omnem aliam quocumque nomine censetur abjuro; & promitto, quod de cætero servabo illibatam fidem, quam Romana tenet Ecclesia, & prædicat: & quod hæreticos, & credentes eorum, toto posse meo persequar: & tam eos, quam eorum fautores, receptores, & benefactores, bona fide, & sine dolo, & sine mora manifestabo Ecclesiæ, vel prælati

& poenitentiam, quæ mihi pro mea culpa injungetur, integre servabo, & complebo: & volo, & concedo, quod si ab hac hora in posterum contigerit me relabi in eundem errorem, vel alium cujuscumque hæresis quocumque nomine censetur, errando forte in aliquo casu, vel credendo, ad fidem habendo errantibus, vel eos, vel credentes eorum recipiendo scienter, aut defendendo, aut fovendo dicto vel facto, aut eis bene faciendo qualitercumque, eos vel celando, vel non manifestando bona fide, & sine mora, vel si poenitentiam injunctam à vobis non servavero, & perfecte non complevero, ab inde ipso facto habear excommunicatus, & perjurus, & hæreticus manifestus: & me ego judico, ita quod sine ampliori cognitione, & sententia, quæ jure lapsus, & manifestis hæreticis indicitur, mihi poena imponatur. Insuper assero, & profiteor me puram, & totam veritatem de me, & aliis in quantum scio, dixisse: & si forte constare poterit me malitiose de veritate aliquid suppressisse, vel tacuisse, imponenda, vel injungenda mihi à vobis poenitentia, seu absolutio obtenta, vel obtinenda nihil mihi proficit. Hæc est forma abjuracionis, quam nunc ut in plurimum Inquisitores hæretico tempestive respicienti verbo, & scripto facere injungunt, ut ex ea, & per eam firmum se in fide restetur, & nulla illi maneat simula, per quam si postea erraverit, elabi possit, ne dignas suo scelere sustineat poenas.

## FINIS LIBRI PRIMI.



tem senior, & hinc movit sermonis exordium. In nomine, inquit, Jesu Christi Philosopho audi, quæ vera sunt. Deus unus est, qui fecit cælum & terram, quique homini, quem de limo terræ formaverat, spiritum dedit: universa, quæ videntur, & quæ non videntur virtute verbi sui creavit, & spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc verbum, ac sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miseratus errores ex Virgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberavit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam. Quem & expectamus judicem omnium, quæ gerimus, esse venturum. Credis hoc ita esse Philosopho? At ille velut si nunquam ullum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupescit virtute dictorum, mutus ad omnia hoc solum potuit respondere, ita sibi videri, neque aliud verum esse, quam quod dixerat. Tum senior, si hæc, inquit, ita esse credis, surge, & sequere me ad templum, & hujus fidei signaculum suscipe. Et Philosophus conversus ad discipulos suos, vel ad eos, qui audiendi gratia convenerant: Audire (inquit) o eruditi viri. Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subverti: ubi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non poterunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo. Et ideo si quis vestrum potuit in his, quæ dicta sunt, sentire, quæ sensu, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus. Ita Philosophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est victum. Hactenus Historia Ecclesiastica. Ex quibus aperte constat sæpe Christianam simplicitatem potentior esse ad hæreticorum duritiam fragendam, quam mille virorum doctorum argutie. Quo fit, ut non satis sit inquisitoribus hæreticorum, si ad convertendum aliquem hæreticum, unum aut alterum virum doctum adhibuerint: sed oportet, ut plures, & doctiores, quos noverint illi adhibere, neque hoc satis est, ut consummate suum exequantur officium: sed opus est, ut viros sanctitate excellentes, quamvis idiotas, si illos agnoscant, illi offerant. Quoniam (ut diximus) fieri est possibile, ut Deus per merita viri sancti & simpliciter convertat hæreticum, quem viri docti suis argumentationibus convertere non poterunt. Admonere tamen Lectorem decevi, ne patet me existimare hanc tam exactam, & tam prolixam admonitionem esse sic necessariam ante hæretici condemnationem, ut (nisi illa præcedente) merito hæreticus damnari non possit, & seculari potestate tradi. Nam (ut sæpe jam me dixisse memini) si semel, & iterum legitime fuerit admonitus, & ille monitioni non obediit, satis est, ut ab inquisitoribus damnari possit, & seculari tradi potestati, ut patet per cap. Ad abolendam de hæreticis. Sed hanc tam prolixam, & tam exactam admonitionem dico esse necessariam, ut saltem hæretici anima, si responderit, salvetur: corpore illius ad mortem damnato. Forte hæreticorum inquisitores expostulabunt me, quod rem nimium difficilem laborisque plenam illis imponere velim. Quibus ego respondeo: multo majorem multoque acerbior esse laborem, quem hæreticus propter hæresim, & illi propter officium negligenter administratum, in inferno sustinebit. Multa sunt toleranda, ut vel unam animam ex inferni faucibus liberet pastor, & rector. Filius Dei, ut nos à dæmonis imperet potestate, carnem nostram cum omnibus fere illius miseris assumere, & mortem in illa pati dignatus est. Non est igitur æquum, ut inquisitores, & Episcopi, quibus incumbit negotium, pro

hæretici anima recuperanda præfatos admonitionum labores subire recusent, pro qua Christus filius Dei mortem subire non recusat.

## CAPUT II.

Quod relapsus hæreticus merito censetur incorrigibilis, & quis sit dicendus relapsus.

**Q**UIA Ecclesia hæreticos, qui relapsi appellantur, tamquam incorrigibiles punit, ideo necessarium fore existimavi, hic perscrutari quis dicatur relapsus. Bisariam contingere potest, ut aliquis dicatur relapsus. Nam quidam est aperte relapsus. Alter autem non aperte, & manifeste est relapsus: Sed propter juris præsumptionem, quæ talis ac tanta est, ut contra illam nulla probatio admittatur, relapsus censetur. **U**t quis manifeste relapsus dicatur, duo sunt necessaria. Primum est, ut semel in aliquam hæresim fuerit lapsus, & de illa accusatus, & propter illam damnatus, & post illam damnationem, hæresim in judicio abjuraverit. Secundum est, ut post hujusmodi abjuratorem, iterum in hæresim labatur. Quæ duo, si alicui convenerint, tunc manifeste relapsus dicitur, & erit. Si alterum horum desit, quamvis forte possit dici relapsus: sed non aperte, & manifeste relapsus. Sunt adhuc alii (ut diximus) qui & si non sint manifeste relapsi, nec de ipso relapsu aperte convicti, quadam tamen juris præsumptione censentur relapsi. Hi autem dupliciter contingunt. Nam qui de hæresi tam vehementem dedit suspensionem, ut purgatione canonica indigaerit, quamvis non fuerit de crimine convictus, si post abjuratam hæresim, iterum in hæresim labi contingat, hic juris præsumptione censetur relapsus, ut patet in cap. Accusatus §. 1. de hæreticis lib. 6. Illum enim, qui vehementem dedit de hæresi suspensionem, jus Canonicum fingit fuisse lapsum, ut si postea in hæresim reciderit, merito possit dici relapsus. Hæc autem de vehementer suspecto intelligenda sunt: quoniam qui modicam, & levem de hæresi suspensionem præbuit, quamvis postea in hæresim labatur, non dicitur relapsus. Punitur tamen gravior, quam si absque nulla præcedente suspensione, tunc primo in hæresim laberetur, hæc habentur in præfato cap. Accusatus. Nec refert, an in eandem reciderit hæresim, an in aliam: quodiam qui abjuravit hæresim simpliciter, hoc est, non exprimens hanc aut illam: sed hæresim absolute, aut qui abjuravit hæresim generaliter, hoc est, omnem hæresim, si postea in hæresim (quamvis non eandem) lapsus fuerit, merito relapsus judicatur, ut expresse habetur in eodem cap. Accusatus §. Eum vero. Difficultas tamen non parva hic oritur, de illo qui contracte, & restrictive abjuravit, ita ut solum, de qua accusatus, ut vehementer suspectus fuerit, hæresim abjuravit: si postea non in eandem, sed in aliam hæresim fuerit lapsus, an talis sit dicendus relapsus. Glossa in illo eodem §. in verbo simpliciter, dicit se credere talem non esse dicendum relapsum. Et illius sententia ego etiam subscribo, & in illam manibus (ut dicitur) & pedibus eo: quoniam si Papa voluisset hunc talem pro relapsu haberi, non fuisset cum illa modificatione, & verborum restrictione loquutus: sed absolute dixisset eum, qui semel hæresim quomodolibet abjurasset, si postea in hæresim laberetur, esse dicendum relapsum. At cum dicatur eum esse dicendum relapsum, qui hæresim simpliciter, vel generaliter abjuravit, & postea in eandem, aut aliam hæresim incidit, eo ipso vitus est à nomine relapsi

excludere illum, qui postquam unam singularem hæresim abjuravit, in aliam lapsus est. Sed ex hac difficultate alia via inquisitores hæreticorum, prudentes quidem, se liberant, quia hæreticum semel deprehensum, non eam solum, de qua accusatus, aut vehementer suspectus est: sed omnem hæresim abjurare compellunt. An autem hoc iuste fiat, supra capite primo hujus libri disputavimus. Alio modo dicitur aliquis ex juris fictione relapsus, cum videlicet post abjuratam hæresim acceptat, deducit, visitat, sive associat, aut dona, vel munera hæreticis donat, vel mittit, seu favorem illis impendit: qui excusari non possit. In hoc enim casu jus præsumit istum, qui alias in hæresim lapsus fuerat, ut aliquod horum, quæ nunc diximus, facere: quia priorem, quam abjuravit hæresim, iterum approbat. Sed hæc de illo intelligenda sunt, de cuius prior lapsu semel constitit, sive hoc ante abjuratorem, sive post illam constitit. Nam de illo solo loquitur textus in eodem cap. Accusatus §. ille quoque. Sed circa dicta in illo §. duo mihi oriuntur dubia, quæ non parvam videntur habere difficultatem. Primum est, an is, qui ob solum vehementem de hæresi suspensionem, omnem hæresim abjuravit, si post istam abjuratorem hæreticos recepit, aut munera misit, aut aliquod illorum quæ in illo §. enumerantur, fecit, sit dicendus relapsus. Et forte alicui videbitur, quod sic: quia post abjuratorem generalem hæresis, iterum in vehementem incidit hæresis suspensionem hæreticos recipiendo, aut munera illis dando, vel mittendo. Ego vero duplici motu ratione contrarium dicendum esse puto. Prima, quia nullus est textus, quo dictam illud probari possit, immo si per conjecturas hic agere licet ex textu illius §. magis conjicere licet hunc talem, de quo nunc disputamus, non esse dicendum relapsum: quoniam si illum Papa judicasset esse dicendum relapsum, non addidisset verba illa, per quæ manifeste ab illa regula generali illum exceptit: sed generali voce fuisset loquutus: Dicens autem, de cuius lapsu in hæresim ante abjuratorem constitit, vel nunc constat, aperte satis expressit illum, de cuius lapsu nunquam constitit, non esse dicendum relapsum. Secunda ratio est: quia omnis, qui secundum iura judicatur relapsus, oportet, ut saltem semel sit aperte, & manifeste lapsus in hæresim, & de illa convictus. Et ita propter unum apertum lapsum, & alium ex juris fictione, aut præsumptione, merito judicabitur relapsus: sicut patet in duobus casibus, de quibus loquitur cap. Accusatus §. 1. & §. ille quoque. Ubi autem sola fuit suspicio, etiam si semel, & iterum vehementem præbuerit de hæresi suspensionem, mea sententia non dicitur relapsus: quia suspicio, quæ ex lege, & jure non oritur, id est, quam iura non approbant, & confirmant, nunquam erit sufficiens, ut recte per illam quis possit damnari. Cum ergo nulla sit lex, quæ jubeat suspicari illum, qui propter solum suspicionem hæresim abjuravit, si postea hæreticos recepit, aut munera illis dederit, in favorem hæresis hoc fecisse, convincitur ut propter hoc non sit censendus relapsus: sed purgatio canonica est illi injungenda, & gravior meo iudicio puniri debet propter secundam, quam præbuit suspensionem, quam punitus fuit cum primam dedit. Secundum dubium & quidem multo mea sententia difficilius est de illo cuius lapsus in hæresim, sive ante abjuratorem, sive post, fuit manifestus, & notorius, & postea recepit hæreticos, aut illis dedit munera: sed tales hæretici, quibus munera dedit, non sunt suspecti de

hæresi illa, in quam ipse, qui munera dedit, fuit lapsus, immo constat tales hæreticos longissime ab illa hæresi distare, an qui hujusmodi hæreticis munera dedit, postquam ipse hæresim abjuravit, sit dicendus relapsus per textum illius §. Ille quoque. Et videtur quod non: quia quando aliquid lege facitur, propter aliquam rationem in ipsa lege expressam, quæ legislatorum, ut sic statueret, movit, si res talis occurrat, cui ratio legis nullo modo possit aptari: credendum est illam talem sub lege non comprehendi. Quia lex (ut ait Panormitanus in cap. finali de rescriptis) non est aliud, quam ratio ipsius legis. Ratio autem quam textus ille asserit, ut qui post abjuratorem hæresis recepit hæreticos, aut visitaverit, aut munera illis dederit, vel miserit, sit dicendus relapsus, est quia (ut dicit) illum ex approbatione se prius erroris consequentia non est dubium illud fecisse. Hæc ratio cum ex sola suspensione, aut præsumptione procedat, & non ex facti evidentia, circa illum solum vim suam habere videtur, qui post abjuratam hæresim communicavit hæretico faventi eidem hæresi, in quam illum lapsus fuisse constitit, aut saltem communicavit hæretico faventi illi hæresi, quæ nimiam habet connexionem cum illa, in qua ille prius lapsus fuerat. Tunc enim ex tali communicatione cum hæretico merito præsumi debet illum ad eandem, quam prius abjuraverat hæresim communicavisse: quia hæreticum illum defendentem recipit, visitat, aut munera illi donat, vel mittit. Si tamen is, qui hæresim abjuravit, communicat hæretico, de quo constat aliam valde diversam hæresim tueri, & non eandem, quam alius abjuravit; non video quomodo ex hujusmodi conversatione suspicari liceat illum ad eandem hæresim rediisse: cum constet illum talem, cum quo conversatur illi hæresi aperte contradicere, de qua ipse fuit olim convictus. Forsitan hic aliquis mihi respondebit, quod quamvis non oporteat ex tali conversatione suspicari illum ad eandem hæresim rediisse, quam prius tenuerat, & postea abjuraverat, bene tamen presumere oportet istum in aliam hæresim incidisse, & hoc satis esse, ut merito relapsus dicatur. Contra hanc tamen responsionem ipsamet textus agere videtur: quia ratio quare textus dicit istum, qui post hæreticis abjuratorem hæreticis communicavit esse dicendum relapsum, est: quia præsumitur ad præfatum errorem rediisse. Ex quibus verbis colligere oportet illum, qui non dedit suspensionem rediisse ad pristinum errorem, non esse dicendum relapsum. Nec obstat quod dicitur in §. Eum vero, illum qui generaliter hæresim abjuravit, si postea in illam, aut aliam hæresim labatur, esse dicendum relapsum: quia textus ille non loquitur de illo, qui ex juris fictione, aut præsumptione dicitur relapsus: sed de illo, qui est aperte, & manifeste, & sine ulla fictione relapsus. Et certe, qui semel de hæresi est convictus, si post abjuratorem hæresim generalem, in illam aut aliam hæresim aperte lapsus fuerit, dicitur relapsus. Qui non est bis de hæresi convictus, sed ex juris fictione dicitur relapsus, ut juris fictio sit adversus illum valida, oportet, ut in eandem recidat hæresim, de qua prius suspensionem dederat, vehementem. Nam de hoc ita docet textus expresse in capite, accusatus, §. 1. Et, ut mea clarius pateat sententia, verba textus in medium proponere decevi. Accusatus, inquit, de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehementem suspicio orta erat, si hæresim in judicio abjuravit, & postea committit in ipsa, censeri debet quadam juris fictione relapsus. Hæc ibi. In quibus verbis id an-

terminum, nec tamen brevem, infra quem si respiciatur, recipiet illos ad gremium suum tamquam benigna mater. Quo tempore transacto claudit illa janua, sicut fatuus virginibus, quæ intemptive ad nuptiarum celebritatem venerant, Dominum clausisse historia Evangelica refert. Neque hujus laudabilis Ecclesiasticæ consuetudinis recens est initium: sed antiquissimum esse constat, quippe quod ante mille annos observatum esse scitur. Nam cum olim Nestorius novam quandam adversus Catholicam fidem confingeret hæresim, negans Beatam Virginem Mariam esse Dei matrem dicendam, Celestinus Papa, qui tunc universali præerat Ecclesiæ Episcopalam ad illum misit: qua illum de errore arguebat, & deditque decem dierum spatium, quo sibi bene consulere posset. Et si intra illud tempus nollet veram, atque Catholicam recipere fidem, intelligeret se Episcopatum, & communionem fidelium privandum. De hac re testimonium præbet Liberatus Diaconus, qui fuit temporibus Silverii, & Vigili Pontificum in quodam opere, quod appellavit Breviarium Nestorianorum, & Eutyriarum, cap. 5. sic inquit: „Celestinus vero Papa misit increpationis Epistolam cum exhortatione, & vituperatione, quia errare non debuere ab ejus ordinatione. Et est ejus principium, aliquantis diebus vitæ nostræ, tribuens ei decem dierum spatium, hoc est, à prima die acceptionis ipsius Epistolæ, usque in ultimam diem, ut si minime Nestorius emendaret expositiones suas, & revocaret ad Ecclesiam, qui propter Christum, qui est caput ejus ab eo fuerant expulsi, cognosceret se ab ejus collegio & omnium sanctorum Episcoporum collegio esse separatum, in sinuans ei dedisse vicem suam in Concilio per Epistolam suam, cujus principium est: Tristitia nostra, sanctitatis vestre littera, qua Cyrillum admonuit, ut si per illos decem dies doctrinam suam minime Nestorius emendaret, diserneret eum à communi communionem Episcoporum, vel Coepiscoporum removendum, & providendum illi Ecclesiæ.“ Hactenus Liberatus Diaconus. Et hujus dilationis à Celestino Papa Nestorio ad misericordiam concessa, meminit Epistola à Concilio Ephesino ad eundem Nestorium missa, in qua post verba monitoria hæc adduntur. Quod si hoc Religio tua facere distulerit juxta dilationem litteris præfinitam sanctissimi, & reverendissimi Confacerdotis nostri Romanæ præfuls Ecclesiæ Celestini, scias te nullam sortem habere nobiscum, nec locum, aut colloquium cum Dei Sacerdotibus, & Episcopis obtinere. Hæc in Epistola Concilii Ephesini. Hanc etiam consuetudinem post aliquot sæcula servavit Benedictus Papa hujus nominis secundus cum Machario Antiocheno Episcopo hæretico, concedens illi quadraginta dierum spatium ad respiciendam. Hoc autem ita factum esse constat ex actis septimæ Synodi, quorum pars aliqua refertur in cap. convenientibus, 1. quæst. 7. in quo inter alia, hæc inferuntur verba. Item Petrus Apochryfarius Papa dixit: Romæ exulatus est Macharius hæreticus à sancta Synodo, & quadraginta dierum inducias dedit illi Pater noster Benedictus Papa, & quotidie mittebat ad eum Bonifacium consiliarium suum, & instruebat eum monitoriis verbis ex divina Scriptura: sed nullatenus voluit emendari. Hoc autem faciebat, ut eum reciperet in ordine suo. Hæc ex septima Synodo. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod Machario jam per synodum de hæresi

damnato, data sunt ad respiciendam quadraginta dierum inducia. Ex quibus verbis apertissime convincitur, longe aliud esse damnare aliquem, ut hæreticum, & aliud damnare illum, ut incorrigibilem. Non ergo omnis, qui hæreticus est, censetur incorrigibilis: nisi postquam constiterit illum esse hæreticum, fuerit insuper sufficienter admonitus. Deinde Concilium Constantinense hoc idem observare decrevit cum Hieronymo de Praga, quem (ut ex vigesimaprima ejusdem Concilii sessione constat) multis diebus in carcere detentum expectavit Concilium, ut pristini erroris penitentia ductus, respiceret à laqueis diaboli, à quibus captivus tenebatur. Postquam igitur hæretico datum fuerit aliquod, vel mediocre induciarum tempus, hæreticorum Inquisitores, & judices omnem, quam poterint intra illud tempus debent adhibere diligentiam, ut hæreticus ab errore suo discedat. Nunc ipsemet illum blande admonent, nunc alios viros doctos, & pios ad illum mittant, qui illum doceant quantum à Catholica fide aberrat, testimoniis Sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ definitione, aut aliis viis, quibus hæreses revincendas esse supra docuimus, illum convincant. Hanc esse, & semper fuisse Ecclesiæ sententiam, testimoniis Sanctorum Doctorum ostendant. Si hæreticus adeo in suo errore fuerit induratus, ut intra tempus præfixum sufficienter admonitus hæresim deserere noluerit, tunc merito incorrigibilis censeri poterit, & velut talis puniri. Et si post elapsum tempus illi præfixum, & post adhibitam in illo tempore omnem debitam admonitionem, de errore vere penitens respuerit, salvabitur anima ejus; puniatur tamen velut incorrigibilis, & ad veniam, & indulgentiam non recipietur, ita ut per illam conversionem, & penitentiam, poenam mortis evadat, præsertim si jam per sententiam damnatus esset. Nam alioqui si ante damnationem, quamvis post terminum præfixum, respiciat (ut supra libro primo docuimus) perpetuo carcere includatur, prout fieri mandatur in cap. excommunicamus, §. si qui autem, de hæreticis. Si vero post damnationem redire voluerit, jam non recipietur. Quia & si tunc peniteat, non tamen amore veritatis, sed odio poenæ id facere videtur. Neque talis suspicio judicanda est, longe à Christiana pietate abesse: immo potius è contrario divinæ voluntati simillima. Nam eodem modo Deus peccatores judicat, qui si in tempore vitæ illis ad penitentiam dato penitere voluerint, veniam à Deo impetrant, quam præsentis vitæ tempore transacto, etiam si cum lachrymis, & gemitibus petant, numquam tamen obtinebunt. Damnati siquidem in inferno (ut liber sapientia testatur, cap. 1.) se male egisse dolent, & propter peccata quæ olim in hoc mundo videntes commiserunt, penitentiam agunt, quæ tamen illis ad salutem nequaquam prodest. Quia non amore virtutis, & justitiæ: sed odio poenæ, quam sustinent, se peccasse dolent. Eto etiam, ut amore justitiæ penitenter illos præteritorum malorum, nihil à Deo talis penitentia impetrat, ob hoc solum: quia extra tempus à Deo ad penitentiam, & veniam datum, facta fuisset. Venit enim nox (ait Saluator noster Joan. 9.) in qua nemo operari potest. Quo loco juxta Augustini interpretationem Saluator noster noctem appellavit tempus post hanc vitam, in quo nemo potest operari, hoc est, mereri, sive ad vitam, sive ad mortem perpetuam: sed quare mereri non possunt? Nonne habent plenam Arbitrii libertatem? Habent utique. Quid igitur obstat ne

glo-

gloriam, aut poenam mereri possint? Certe, ut multis non infimæ auctoritatis Doctoribus placet, solus status obstat, quia videlicet in eo sunt statum in quo Deus decrevit nullam, aut gloriam, aut poenam illos posse mereri, quantumlibet bene aut male agant. Ad hanc imitationem Ecclesia facit, quom tempus ad penitentiam hæreticis statuit, intra quod si ad hæresim recesserint, eos recipit, & veniam illis tribuit. Tempus autem ad poenam mortis evitandam ab Ecclesia concessum, ut lib. 1. diximus, est totum tempus ante sententiæ prolationem: quia toto illo tempore si redierint, etiam si postquam fuerint per testes convicti veniant, poenam mortis evadent. Hoc autem tempore peracto, etiam si penitere se dicant, non recipit illos ad veniam: quia tunc non amore justitiæ, sed odio poenæ illos penitere præsumit: & ideo illos incorrigibiles censet, & velut tales potestati seculari tradit, ut ab illa debita animadversione puniantur. Ad eundem modum dicitur hæreticus incorrigibilis ille, qui hæresim, quam sciebat ab Ecclesia damnatam turatus est, & in illa usque ad mortem perseveravit: quoniam Ecclesiæ diffinitio, quam optime sciebat, satis erat illi pro bina, & trina admonitione. Cum igitur Ecclesiæ admonitionem audire noluit: sed illa contempta usque ad mortem in hæresi perseveravit, merito incorrigibilis judicatur, & eidem poenæ, si post mortem de illius hæresi constiterit, plectetur, quibus vivens, & incorrigibilis manens plectetur, ut habetur, in cap. Accusatus, §. in eo, de hæresi. lib. 6. Ob eandem etiam causam censetur incorrigibilis hæreticus, is qui accusatus de hæresi, negavit delictum suum toto tempore, quod illi, si fuisset confessus, datum erat ad veniam. Cum autem videt se per testes convictum, transacto tempore illo ad veniam dato, fatetur crimen suum, & dicit se penitere. Hic talis existimatur incorrigibilis: quia & si penitere se dicat, non est credendus, quod zelo fidei, & odio hæresis hoc dicat: sed timore poenæ, quam vehementer abhorret. Verum & si hic talis merito censetur incorrigibilis, Ecclesia tamen illum mitius tractare decrevit, quam si usque ad finem pertinax in hæresi mansisset. Nam hunc, qui postquam per testes convictus est, ante sententiæ prolationem respiciit, & ad Ecclesiæ communionem redire vult; Ecclesia jubet perpetuo carcere ad agendam condignam poenitentiam detrudere: ut habetur in cap. penultimo de hæreticis, §. si qui autem. Nec tamen propter quod jam velut incorrigibilis aliquis damnatus est, debent Inquisitores hæreticorum ab illius admonitione cessare: sed ulteriores adhuc oportet eos adhibere diligentiam, ut illum ab errore ad veram fidem revocent, & sic animam illius à gehennæ incendiis, si poterint, salvent: quamvis corpus à morte jam eripere non valeant. Et hic jam tertius est finis, ad quem ultima dirigitur admonitio. Plurima sunt tentanda remedia, ut vel animam à demonis potestate eripiant. Si Macharium hæreticum Papam Benedictus per quadraginta dierum spatium (ut dictum est supra) quotidie monebat, ut illum in Ordine Episcopatus reciperet, multo instantius, & importunius id faciendum est; ut animam illius à potestate demonis ereptam, Christus inter choros Angelorum illum recipiat. Sæpe illum Inquisitores admonent, & si ipsi in exhortationibus suis non profecerint, tunc alios viros doctos, & vere pios, & honestos adhibeant, qui illum admonent. Et quamvis isti nihil adversus hæreticum prævaluerint, non tamen dedignentur alios iterum adhibere: quoniam non omnia possumus omnes. Multi

siquidem ad verba Pauli conversi sunt ad fidem Catholicam, qui forte per verba Petri, & aliorum Apostolorum non fuissent conversi. Multi etiam in prædicatione Petri egerunt poenitentiam, & baptizati sunt, qui forte aliis Apostolis prædicantibus poenitentiam minime egissent. Non enim omnes per eundem verbi ministrum Deus ad se trahere decrevit: sed quosdam per Petrum, alios per Joannem, alios per Bernardum, alios per Franciscum, alios per Dominicum. Divisiones gratiarum sunt (ait Paulus, 1. Cor. 12.) idem autem spiritus, & divisiones ministrorum sunt, idem autem Dominus, & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Et postquam varia gratiarum genera enumeravit Paulus, statim subiungit: Hæc autem omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Si Deus prout vult, singulis dona sua dividit, non ergo omnia omnibus concedit: non igitur mirum si Petrus dederit gratiam, ut possit convertere Franciscum, & hanc non dederit Joanni. Deinde si per viros Doctos hæreticus homo sententiam suam recantare contemnit, vitium aliquem pium vitæ sanctitatem clarum, quamvis idiotam illi offerre procurat. Quoniam fieri est possibile, ut vox sancti hominis simplicis, & idiota potentior sit ad hæreticum confundendum, quam mille argumentationes virorum doctorum. Infirma enim hujus mundi (ut ait Paulus, 1. Cor. 1.) elegit Deus, ut fortia quæque confundat. Ut superbiam Pharaonis deiecerit Deus, & duritiam frangeret, non magnas, & feras elegit bestias, sed minutissima animalia, videlicet muscas, cyathos, locustas. (Exod. 8.) Sæpe etiam Deus potentiores vult esse simplicis alicujus hominis, & idiota voces: quam omnium virorum doctorum syllogismos, & anthymemata, ne fides nostra videatur esse in sapientia hominum, sed (ut ait Paulus, Coloss. 2.) in virtute Dei. Pro hac re est apertissimum, & relata dignissimum exemplum, quod narratur, lib. 10. historia Ecclesiasticæ, cap. 3. Et quo major verbis adhibeatur fides: verba quæ eadem Historia refert, hic inferre decrevit: sic enim de gestis in Concilio Nicæno referens, ait: *Deo in illi (commissum) misit* Quantam vero virtutem habeat fidei simplicitas, etiam ex his, quæ inibi gesta referuntur, agnoscimus. Erant enim cum pro studio religionis Imperatoris, ex omni terra sacerdotes Dei conflent, & opinione communi philosophi quæque, & dialectici valde nobiles, & opinatissimi convenerunt: In quibus quidam insignis in arte dialecticæ, per dies singulos, conflictus summi certaminis cum Episcopis nostris viris atque in dialectica non improbabili eruditus movebat, & fiebat ingens spectaculum, convenientibus ad audiendam doctrinam, & literatis viris. Nec tamen illo genere philosophus concludi à quoquam poterat, aut constingi. Tanta enim dicendi arte objectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur adstrictus, velut anguis lubricus laboraret: sed ut ostenderet Deus, quia non in sermone regnum Dei, sed in virtute consistit: quidam ex confessoribus simplicissimæ naturæ vir, & nihil aliud sciens, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, inter ceteros audientes Episcopos aderat. Qui cum vidisset philosophum insultantem nostris, & calida de disputationis arte factantem, posuit ab omnibus locum, & velle se paucis cum philosopho sermone cinari. Tum vero nostri, qui simplicitatem illius viri, & imperitiam de sermone dumtaxat noscent, pavere, & velut pudorem quandam pati, ne forte apud callidos homines, risui efficeretur sancta simplicitas. Perstitit autem

tem



norandum est, quod ait: Et postea committit in ipsa. Ex quibus verbis satis aperte colligitur illum, qui post abjuracionem committit in alia hæresi, & non in illa, de qua prius vehementer dederat suspicionem non esse dicendum relapsum. Et juxta hunc modum, ego cenfeo intelligenda esse verba, quæ habentur in §. ille quoque. Nam sicut in casu, qui ponitur in §. 1. præcedit vehementis suspicio, & postea sequitur aperta commissio: ita è contrario in casu, de quo loquitur, §. ille quoque præcedit aperta commissio, & postea sequitur vehementis suspicio. Sicut ergo in casu primo, ut quis dicatur relapsus, oportet, ut committat in illa hæresi, de qua prius fuerat vehementer suspectus: ita etiam in casu secundo, ut dicatur relapsus, oportet, ut de eadem hæresi sit vehementer suspectus, de qua prius fuerat aperte convictus. Et quidem, ut sic fiat, ratio ipsa suadet, quoniam non est æquum, ut par omnino sint conditionis in judicio, is qui de hæresi bis fuit aperte convictus, & ille, qui semel tantum fuit convictus, & iterum vehementer de hæresi suspectus. Per hoc enim mea sententia distinguntur, quod is, qui bis de hæresi fuit aperte convictus, sive secundo in eamdem reciderit hæresim, sive in aliam, dicatur relapsus, præsertim si postquam fuit primo de hæresi convictus, omnem hæresim generaliter abjuravit. Qui vero semel tantum fuit de hæresi convictus, & iterum vehementer suspectus, sive præcedat aperta commissio, & postea vehementis suspicio, sive è contrario, non dicatur relapsus: nisi ad eamdem redierit hæresim, de qua prius fuerat convictus, vel vehementer suspectus. Et ego quidem ita dicendum esse cenfeo: nisi aliquod sit Ecclesiæ decretum, quod huic meæ sententiæ aperte repugnet. Nam si de Ecclesiæ decreto, quod huic meæ sententiæ aperte contradicat, utcumque confiteri, statim hanc meam sententiam pro recantata haberi peto. Quoniam Ecclesiæ definitionem tantum facio, ut in nulla re, vel latum pilum ab illa discedere velim. Potest adhuc alio modo aliquis dici relapsus, propter vehementem suspicionem, ut puta, si primum de hæresi convictus hæresim omnem abjurasset, & perpetuo carceri mancipatus fuisset, prout fieri mandatur in cap. Excommunicamus, §. Si qui autem de hæret. & inde ex carcere exisset. Is certe dicitur merito relapsus: quia de primo lapsu fuit convictus, & de secundo dedit vehementem suspicionem per hoc solum, quod exiit à carcere. Nam ob hoc solum merito suspicari possumus, illum non vere penituisse, quod penitentiam injunctam adimplere contempsit, & inde evenit, ut merito suspicemur illum ad pristinum rediisse errorem. Et huic sententiæ favet Abbas, qui in cap. cum non ab homine, de iudiciis, petraclans, quis sit dicendus incorrigibilis, inter alios, quos ibidem sub hoc nomine recenset, illum etiam, qui impostam penitentiam peragere negligit, aliis adjungit. Et specialiter loquitur de illo, qui exit à carcere, in quo propter crimen fuerat reclusus, præsertim si vocatus à iudice non vult comparere. Et probat Abbas suam sententiam per cap. Ut famæ, de senten. excom. & cap. litteras, de præsum. & cap. Accedens, dist. 50. & cap. testimonium de testib. Ille enim (ut Abbas ait) dicitur emendatus, qui sui delicti fecit penitentiam. Sed difficultas est non parva de illo, qui jam omnem hæresim abjuravit, sive quia vere fuerat lapsus in hæresim, aut quia vehementer dederat hæresis suspicionem, si hic talis post illam abjuracionem iterum labatur in hæresim: sed postea errorem cognoscens, sponte sua, & sine ulla ac-

cusatione accedit ad Inquisitores, & coram illis peccatum humiliter confitetur, & veniam petit, an hic talis sit censendus relapsus, & per consequens incorrigibilis, & velut talis puniendus. Et quod sit dicendus relapsus, probari posset per hoc: quia est bis in hæresim lapsus. Ego tamen cenfeo non esse dicendum relapsum, si verum est illum venire sponte sua, & ex vera peccati cognitione. Nullus enim judicari potest relapsus, nisi bis fuerit de hæresi convictus, aut saltem semel convictus de lapsu, & iterum convictus de vehementi suspicione. At hic, qui sponte sua venit, non est dicendus secundo convictus, non potest ergo dici relapsus, & per consequens nec incorrigibilis. Quo fit, ut sit necessario recipiendus ad veniam. Oportet tamen, ut Inquisitor diligenter perscrutetur, an re vera sponte sua venerit, & peccatum suum fuerit confessus. Nam si ex timore probationum quas forte contra se noverat, illum venisse confiteri, tunc jam merito dicitur relapsus: quia non zelo fidei: sed timore pœnæ suam fatetur peccatum, & merito credendum est illum non vere penitere. Declaratio jam quis sit dicendus relapsus, nunc iam opus est, ut illum merito incorrigibilem esse dicendum ostendamus, & velut talem fore puniendum. In re hac video non esse multis verbis opus, cum aperta sic de hac re Ecclesiæ definitio. Nam Lucius tertius hujus nominis Potifex, sic ait: Illos quoque qui post abjuracionem præfati erroris, vel postquam se (ut diximus) proprii Antifitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse, saculari iudicio, sine ulla pœnitentia audientia decernimus relinquendos. Hæc ille. Quæ verba habentur in cap. Ad abolendam, extra de hæret. Sed hanc Ecclesiæ definitionem multi hæretici subsannant, atque derident, & illam contra Christianam pietatem esse aliquibus rationibus cavillantur: sed omnes illorum rationes, quibus id agere contendunt, inanes, & (ut apertius dicam) irrationabiles prorsus esse (Deo duce) ostendemus. Primo obijciunt nobis Dei misericordiam, qui peccatori etiam milles in peccatum recidenti paratus est semper veniam dare, si toties ille respiciat, & veram penitentiam agat. Oportet igitur (ut dicunt) Ecclesiam, quæ illius est sponsa, ad sponsi sui imitationem agere, ut quoties hæreticus respuerit, & veræ pœnitentiæ signa dederit, illum recipiat, & illi indulgentiam præstet. Huic objectioni respondet Alexander Papa hujus nominis quartus in cap. super eo, de hæret. lib. 6. Cujus verba, quia propter nimiam breviterat obscura sunt, ego aliquanto prolixius explicare decrevi. Fatemur quidem quod obijciunt, veniam culpæ semper esse dandam peccatori, quotiescumque veram ille peccati pœnitentiam egerit, & semper esse illum ad Ecclesiæ communionem recipiendum, si vera pœnitentiæ signa ostenderit. Nam nihil eorum, quæ omnibus Catholicis fidelibus Ecclesiæ concedit, illi negari debet. Audienda siquidem sunt peccata, quæ ille Sacerdoti in auriculari confessione detegere voluerit, quibus auditis: nisi aliud obset, non est illi neganda peccatorum suorum absolutio. Si Eucharistiæ Sacramentum perierit, illi debet administrari. Unctionis tamen extremae sacramentum illi non ministrabitur, propterea, quod juxta Beati Jacobi sententiam hujusmodi sacramentum non nisi illis, qui morbo corporali laborant ministrari debet. Post mortem, Ecclesiastica sepultura illi velut cæteris fidelibus Catholicis concedetur. Non tamen consequens est, ut mors, aut pœna alia propter delictum hæresis, in quod relapsus fuit, non debeat infligi. Non enim fieri neces-

sario oportet, ut quoties culpæ indulgentia datur, pœnæ etiam, ad quam propter culpam destinatus fuerat, indulgentia detur. Nam Deus etiam postquam peccato pepercit, pœnas subinde infligere consuevit. Pro qua re (ut alia omitam) illud est apertissimum testimonium quod de David Rege secundus liber Regum narrat. Cap. 12. Hic enim agnoscentes culpæ gravitatem, quam in adulterio, & homicidio commiserat, ejusdem culpæ indulgentiam à Deo impetravit. De qua testimonium reddidit Nathan Propheta, dicens: *Transiit quoque dominus peccatum tuum.* Post hanc tamen culpæ remissionem, idem Propheta prædixit illi multas calamitates, & pœnas eum passurum propter commissum scelus, quas omnes postea tolleravit, quamvis jam fuerat illi peccatum remissum. Ad hunc eundem modum Ecclesiæ Christi sponsa faciendum esse decernit, quæ hæreticum relapsum si respiciat, ad pœnitentiam recipit, pœnas tamen ad quas propter crimen hæresis destinatus erat, illi infligere non formidat. Prætere. Secundo obijciunt nobis hæretici. Petro quærenti à salvatore nostro, quoties fratri in se peccanti dimittere debeat, & cum interrogatione proferenti sententiam, usque septies? Salvator noster respondit: (*Math. 18.*) *Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.* Quibus verbis apertissime docuit offensas nostras hoc est, quæ contra nos sunt, semper remittere, ita ut quoties in nos peccaverit, toties nos illi dimittamus. Aliam tamen esse habendam rationem in punitione eorum criminum, quæ sunt aperte contra divinum honorem, docet Augustinus in ser. 3. de plurimis martyribus, sic inquit: „Diligenter attendite fratres, & scitote aliud esse in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam non indulgeamus, peccatum incurrimus, quando autem aliqui in Deum peccaverint, si sine districtione grandi indulgere voluerimus, participes nos eorum peccatis efficiamus.“ Hæc ille.

Quo fit, ut iudex quicumque ille sit, cum non suas, sed Dei aut Ecclesiæ aut alterius reipublicæ offensas punit, ad hujusmodi præcepti executionem non teneatur: ita ut cum non privatas, sed publicas punit offensas, possit pro criminis qualitate etiam pœna capitis punire, nec hujusmodi pœnam remittere teneatur, immo sæpissime non remittere teneatur. Hæreticus autem non in solos delinquit iudices, aut prælatos, quos suo errore scandalizat: sed Deum, & Ecclesiam illius sponsam multipliciter offendit. Primo, quia putat illos, aut fallere, aut falli posse, & ob hanc causam illorum dictis obedire recusat. Secundo, quia fideles, qui membra sunt Christi suo pessifero errore inficere, & à Christi corpore divellere satagit. In cap. Vergentis, de hæret. dicitur, quod hæreticus divinam offendit Majestatem. Rursum, tertio hæretici contra nos arguunt sic dicentes: Ego hæreticum hominem damnare liceat, & incorrigibilem punire, non tamen postquam primo relapsus est, statim censori debet incorrigibilis: quoniam Paulus Apostolus Tito scribens, cap. 3. admonet illum, ut hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devitet. Ex quibus verbis colligunt Ecclesiam contra Pauli sententiam agere, quæ post primam correptionem hæreticum damnat, & illum potestati saculari tradit, ut ab illa prout viderit expedire, plecta-

tur. Et certe (ut ingenue verum fatear) hæc Pauli verba non parum momenti habere videntur adversum nos: si ita à Paulo dicta esse constaret, prout nunc à nobis citata sunt, & in communibus Bibliis habentur. Non tamen constat talem esse Pauli litteram: Quoniam longe aliter multi sancti viri illa Pauli verba citant, legunt, & interpretantur. Neque illa diversa Pauli lectio, apud solos recentes auctores invenitur: quoniam hoc parum detraheret publicorum, & communium Bibliorum auctoritati: sed cum apud pervetustos auctores, eosque probatissimos non solum Latinos, verum etiam Græcos reperiat, facit, ut certi non simus quo pacto illa Pauli verba legenda sint. Beatus Ambrosius in commentariis super Epistolam ad Titum, illum Pauli locum hoc modo legit: *Hæreticum hominem post primam correptionem devita.* Quæ quidem lectio valde diversa est ab ea, quæ in communibus Bibliis habetur. Beatus Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 78. hunc Pauli locum sub his verbis citat. *Hæreticum hominem post unam correptionem devita.* In quibus verbis nullam de secunda correptione mentionem fecit. Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorum hæc eadem Pauli verba citans, post unam correptionem dicit hæreticum esse devitandum. Denique Beatus Irenæus martyr, Apostolis satis vicinus lib. 3. adversus hæreses, cap. 3. sic ait: „Tantum Apostoli, & horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbo tenus, communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, quemadmodum & Paulus ait: *Hæreticum hominem post unam correptionem devita*, sciens quoniam perverus est, qui est talis, & à semetipso damnatus.“ Hæc Irenæus. In quibus verbis Paulum dixisse refert, hæreticum hominem post unam correptionem esse devitandum, & non ad secundam expectandum. Quæ autem sit verior littera, an hæc, quæ in communibus Bibliis habetur, an illa, quam hi quatuor illustres, & vetustissimi auctores citant, ego tantus non sum, ut definire possim, nec tam arrogans, ut hoc tentare audeam. Nam Beatus Hieronymus in commentariis super Epistolam ad Titum interpretans hunc Pauli locum dicit, hæc Pauli verba aliter apud Græcos quam apud Latinos haberi, apud Græcos dicit solum reperiri post unam correptionem. In Latinis vero codicibus dicit legi, post unam & alteram correptionem. Quæ autem istarum sic verior littera Hieronymus non definit: quoniam nullam illarum improbat. Ut autem argumento, quod ex illo Pauli loco nobis proponitur, respondeam, dico quod Paulus illo loco non loquitur de illo, qui postquam ab hæresi aliqua recessit, ad illam, aut alteram rediit: sed de illo, qui in eadem hæresi persistit, quamvis semel, & iterum fuerit admonitus, ut hæresim desereret, & hunc talem dicit esse devitandum, neque cum illo esse amplius colloquendum: quia qui semel, & iterum admonitus de errore suo, non vult corrigi, errare existimare corrigentem, & timendum est, ne illum perdat, à quo admonetur, & docetur.

Unde Chrysostomus homilia sexta super Epistolam ad Titum interpretans hunc Pauli locum, postquam ex posteriore ad Timotheum Epistola, cap. 2. alia Pauli verba citaverat, quæ cum istis in faciem pugnare videntur, illa omnia conciliare volens, sic ait: „Nempe illic de his loquebatur, de quibus corrigendis supererat spes, ac de his, qui simpliciter reluctabantur, non adversandi affectu, sed studio discendæ veritatis. Ubi vero manifestus fuerit omnibus, atque conspicuus adversarius

veritatis, cur obsecro pugnas incassum? Cur aere m...

C A P U T III.

Quod iustum sit, & necessarium hæreticos punire.

Quamvis hæreseos crimen sit adeo pestilens, & in...

gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei...

Si igitur fateri oportet malefactorem esse puniendum...

vertatur, & vivat, sæpe ærumnis, & calamitatibus va...

est, ut visum mentis reciperet, & ad Dei obedientiam se...

poris morte, quanto anima multis intervalis corpore...

Et incipit, quod durum erat amari & incipit timor excludi charitate, & succedit timor castus, quo timemus, non tardet, ne discendat, ne eo careamus. Ille utilis: sed non permanet in aeternum, ut ille. Hæc Augustinus.

Quapropter Christus Salvator noster sæpe peccatoribus durum Dei iudicium, ut inferni penas, minatus est: Ut per timorem gehennæ illos à peccatis revocaret ad poenitentiam. Licet enim meliores sint, qui amore ducuntur: plures tamen sunt, qui à timore coguntur ad bonum: & hi non mali. Nam timor Domini initium est sapientiæ, & viam parat ad charitatem. (Psal. 110.) Propter hæc causam Paulus Timotheo scribens, 1. cap. 5. ait: Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant. Volebat quidem Paulus timore pœnæ homines à malo avertere, & ad bonum inducere, & ob hæc causam jubet, ut publice peccantes coram omnibus arguat, ut aliquorum poenitentia à malo deterreat. Si autem publice peccantes impuniti relinquerentur, maxima inde præstaretur occasio ad quæcumque facinora committenda. Facilius siquidem veniæ incentivum præbet delinquendi. Et sapientissimus Salomon ait: (Ecc. 8.)

*Brenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrata mala.* Propter hæc causam Aristoteles 10. Ethic. cap. 9. coniet justum esse, ut legum transgressoribus pœnæ aliquæ statuatur à republica: quatenus per illarum metum homines ad legum observantiam cogantur. Multitudo (inquit ille) necessitati potius, quam rationi, & pœnis, quam honestati pareat. Idcirco sunt, qui legumatores oportere censent ad virtutem invitare, ac provocare honestatis gratia, propterea quod illi, qui prohi sunt, ob consuetudinem præcipue obtemperant: adversus autem inobedientes, & hebetiores ingenio, castigaciones, pœnalemque instituerent: At eos, qui curati, atque emendati nequeunt, excludere, atque exterminare. Probum enim hominem & ad honestatem viventem, rationi obtemperaturum esse inquit: improbum vero voluptatem affectantem dolore afficiendum esse, perinde atque iumentum. Hactenus Aristoteles. Ex hac secunda justæ punitionis causa apertissime colligitur, bonum esse, & necessarium hæreticos punire, ne illorum impunitas aliis ansam præbeat, quæcumque voluerint hæreses publice prædicare, & docere. Hoc enim manifesta experientia compertum est, provincias illas, in quibus severa contra hæreticos viget justitia, multo plus ab hæresibus esse purgatas, quam illas, in quibus effrænata est omnibus concessa licentia docendi, & prædicandi quicquid libuerit. Hujus rei testis fidelissimus est nostra Hispania, ad quam propter acerbum disciplinæ rigorem in ea adversus hæreticos vigentem, vix ullus est ausus accedere ad Lutheranam sectam prædicandam, aut docendam: quamvis multi ex hac pestifera factione per reliquas fere omnes Christiani orbis provincias pervagantur. Si vel mediocri aliquo disciplinæ rigore adversus hæreticos usa fuisset Germania, nec tantum fidei Catholice detrimentum fuisset experta, nec tam molestam, & tam periculosam hæreticorum infestationem pateretur, sicut nunc patitur. Quia illorum effrontem, & nimis effrænata audaciam timor duræ punitionis represisset. Quibus timore perterritis, si illi correcti, & emendati non fuissent, hoc saltem non sperendum commodum inde hausisset Germania, quod suæ hæreseos virus, quod mente conceperant, non fuissent ausi in populum evomere, & sic non tantus populus fuisset

illorum pestifera doctrina infectus. Merito igitur sapientissimus Salomon ait: (Prov. 29.) *Virga, atque correctio tribuit sapientiam, puer autem, qui dimittit voluntati suæ confundit matrem suam.* Quæ verba interpretatur Beatus Hieronymus in commentariis super proverbia ait: Puer namque, quem frequentissime corripiendum, & erudiendum admonet, populus Dei est, qui si non assiduis monitis, & increpationibus sacerdotum fuerit castigatus, confusionem generat Ecclesie, detrahentibus his, qui foris sunt Religioni fidei Christianæ. Hæc Hieronymus. Ideo igitur Germaniæ populus nunc Ecclesiam matrem suam confundit: quia suæ dimissus est voluntati, qui si virga, & correctioe fuisset eruditus, accepisset ab ea (ut Salomon ait) sapientiam. Ex his omnibus apertissime colligitur, aut nullum quamlibet sceleratum hominem esse puniendum, aut hæreticum esse etiam puniendum: quia bonum est, hæretici sicut cujuslibet alterius peccatoris emendationem per pœnas procurare, & bonum est timorem aliis incutere, ne hæreseos venenum, quo populus infici possit, passim coram illo evomere audeant. Si is, qui in republicam peccat, merito puniri potest, consequens est, ut hæreticus etiam justissime puniatur: quia hæreticus etiam in republicam peccat. Unde piissimus imperator Theodosius in lege, C. de hæreticis ait: Quod in Religionem divinam committitur; in omnium fertur injuriam. Præterea, si Rex, aut Episcopus, aut quævis alia publica potestas valet puniri peccantes in proximum, & in republicam, consequens est, & necessarium, ut multo magis punire valeat eos, qui peccant in Deum, & in Ecclesiam. Quia multo gravius hi, quam illi peccant, & ob hoc multo etiam gravius puniri debent. Nam (ut in primo libro Regum, cap. 2. ait. Heli sacerdos) *si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus. Si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Hæretici autem: quia contra Ecclesie Catholice doctrinam pertinaciter sentiunt, credunt Ecclesiam ipsam errare. Qui autem Ecclesiam credit errare, necessarium est, quod credat, aut Deum errare, à quo illa regitur, & docetur, aut Deum Ecclesiam suam sic deseruisse, ut illam nec regeat, nec docere voluerit, contra id, quod ipse ante sepe promiserat. Quicquid autem horum de Deo hæretici sentiunt, gravissime in illum, sic sentientes peccabunt: quia per hæc, aut Deum mendacem, aut ignorantem, aut in promissis minime fidelem faciunt.

Cum igitur tam gravem injuriam Deo inferant hæretici, oportet, ut gravius illi sint puniendi, quam si essent in hominem aliquem, aut in totam rempub. injuriosi. Non enim ob aliam causam Principes Romani, ac reliqui omnes Principes Gentiles tam atroci persecutione infecti sunt Apostolos, ac reliquos martyres: nisi quia idola sua neglexerunt, & illis publice detrahebant. Non persecuti sunt Apostolos propter pacis turbationem, aut propter reipublicam proditorem, aut propter quævis alia crimina. Quoniam Apostoli fuerunt viri pacifici, nihil contra rempublicam tenantes, nemini nocentes, omnibus benefici. Nihil bono statui reipublicæ contrarium, illis tamquam malefactoribus umquam obiectum est: sed dumtaxat, quia idolis thura adolere noluerunt, ipsaque vilipendebant. Ideo Principes, ac Reges tamquam suorum falsorum deorum zelatores, in eorum vindictam exarserunt. Putabant quidem, & merito, peccata in Deum multo gravius esse punienda, quam peccata in hominem. Ob quam causam non dubito illos, si verum Deum

Deum cognovissent, multo acerbius in hæreticorum munitionem fuisse exarsuros, quam tunc in Apostolos faverunt. Rursum omnis persona, aut reipublica habens potestatem coactivam, potest subditos suos obligare ad ea, quæ ad pacis, & tranquillitatis observationem sunt necessaria. Si quis autem illa prætermittens, pacem turbaverit, justè potest illum juxta criminis qualitatem punire. Nihil est autem quod magis Ecclesie pacem, & unitatem tollat, quam hæresis. Quia per illam quisque hæreticus se à fidei veritate separat. Et propter hæc causam hæretici omnes dicuntur Schismatici, hoc est, divisores: quia fidei, & Ecclesie unitatem dividunt. Justè igitur hæretici puniuntur tamquam pacis Ecclesiasticæ turbatores. Deinde Paulus (ut ipse testatur 2. Cor. 10.) in promptu habebat ulticium omnem Corinthiorum inobedientiam. Cur igitur Christianis Principibus non licebit ulticium hæreticorum inobedientiam, & rebellionem, qui improba quadam, & pertinaci audacia contra Ecclesie doctrinam insurgunt, & illius verisimilis dictis obedire contemunt? Insuper hæretici (ut Paulus ait, 2. Tim. 2.) multum proficiunt ad impietatem: & sermo eorum (ut cancer) serpit: Quia quotidie magis, ac magis occupat, & devorat, & maculat mentes eorum, qui illos audiunt, & cum illis versantur. Ne igitur licentiosa impunitate audaciores facti amplius grassentur, & magis quotidie noceant, bonum est duris illis pœnis reprimere, ut metu poenarum exterriti nocere desinant. Accedit ad hæc totius Catholice Ecclesie consensus, quæ à multis retroactis sæculis hæreticos puniendos esse censuit, ut per pœnas illos sapientiores faceret, & tamquam lupos ab ovibus arceret. Paulus vas electionis quendam pseudopropheta cæcitate percussit, eo quod Sergium Paulum proconsulem avertente querebat à fide. Nam (ut Apostolorum narrat historia, cap. 3.) *Paulus plenus spiritu sancto inveniens in pseudopropheta, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas: & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligro, & tenebræ, & circumiens querebat, qui ei manum daret.* Si tanta severitate usus est Paulus in pseudopropheta, eo quod proconsulem querebat avertente à fide, credendum est illum multo majore severitate fuisse usurum contra Lutherum, & alios hujus temporis hæreticos, qui non solum unum proconsulem: sed multos proconsules, Duces, Marchiones, Episcopos, Archiepiscopos, multas civitates, multasque provincias avertunt à fide. Innocentius, primus hujus nominis Pontifex Cathaphrygas exilio damnavit. Gelasius Papa Manichæos in urbe repertos exilio punivit. Recharedus Hispaniarum Rex olim Arrianus omnes in Hispania existentes militia privavit. Nec ullum liberi hominis munus illos obire permisit. Imperatores Theodosius, & Martinus varias contra hæreticos statuerunt pœnas, quæ habentur in codice Justiniani tit. de heret. Constat jam apertissime (ut opinor) maxime illos errare, qui pro hæreticorum impunitate contendunt: & ipsi hæreticis, quibus impunitatem optant, esse multo peiores: quia ansam illis præbent, ut omnes, quas velint hæreses libere prædicent, & doceant. Unde Beatus Gregorius exponens illud Job, cap. 40. quod de diabolo sub nomine Behemoth loquitur dicens: *Protegit umbræ umbram ejus, sic ait: Umbræ quippe sunt diaboli, omnes ini, qui, qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt,*

quasi ab ejus corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem umbræ ejus sunt pluraliter reprobi, ita singulariter umbra ejus est, unusquisque peccator. Sed dum doctrinæ justorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt umbra Behe, moth illius, umbram ejus protegit: quia peccatores, quique in quo sibi male sunt consci, in eo, & alium peccantem defendunt. Umbræ umbram ejus protegunt, dum nequissimorum facta, nequiores perveris patrociniis tuentur. Et paucis interpositis subdit: sic fit, ut summa criminum dum defenditur, augeatur, & uniuscujusque nequitia eo fit ad perpetuandum factis, quo difficilis ad puniendum. Scelera quippe peccantium tanto majora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu inulta tolerantur. Sed tales quique seu extra, seu intra sanctam Ecclesiam esse videantur, tanto se apertiores Dei hostes exhibent, quanto majores sunt patroni viutorum. Hactenus Gregorius.

CAPUT IV.

Respondetur objectionibus eorum, qui pro hæreticorum impunitate contendunt.

Vix ullum est tam apertum mendacium, quod non possit ab eo, qui mentiri, & decipere optat quædam veritatis imagine adumbrari. Sic etiam non defuncti, qui hæreticos impunitos esse volunt, argumenta quædam quamvis falsa, quibus suum errorem aliquo veritatis colore aliis suadere conantur. Ut igitur Catholica veritas clarior, & firmiter maneat, opus est eorum objectionibus occurrere, & argumenta, quibus Catholicam veritatem oppugnant, proflus evertere. Primo ergo objiciunt, Deo non placere coacta servitia: sed voluntarie esse illi sacrificandum, atque inde colligunt neminem ad fidem, aut aliquod aliud bonum esse cogendum. Nemo enim (ut ajunt) ad id cogendus est, ex quo nullam potest consequi utilitatem. Ex bono autem, quod quis coactus facit, nullum meretur à Deo recipere præmium. Nam Apostolus cum Corinthios ad eleemosynas hortaretur, cap. 9. ait: *Unusquisque det prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Ex quo datur intelligi, quod qui in vitus dat, & rem perdit, & meritum. Huic objectioni respondet Beatus Augustinus sic inquit: Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare mortetur pater in scripturis sanctis filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera ejus tundere, ut ad bonam disciplinam coactus, ac domitus dirigatur? Unde idem Salomon dicit: (Prov. 13.) *Tu percussis eum virga, animam autem ejus liberat à morte.* Si autem mala voluntas suæ semper permittenda est libertati, quare corripiantur negligentes pastores, & dicitur eis: (Ezec. 34.) *Errantem non revocastis, perditum non inquisistis?* Et vos oves Christi estis, characterem dominicum portatis in sacramento, quod accepistis: sed erratis, & peritis. Non ideo displicemus: quia revocamus errantes, & querimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini monentis, si vos ad ovile ejus redire cogamus, quam consentiamus voluntati errantium, ut perire vos permittamus. Hæc Augustinus. Et ponuntur hæc verba in cap. displicet. 24. q. 4. Sed quia in his verbis Augustinus absolute, & sine ulla distinctione loqui videtur, ut omnis sine ullo discrimine pos-

possit ad quodlibet bonum cogi, ne quis ex verbis illius male intellectus decipiatur, admonere decevi lectorem, ut intelligat non omnes iuste posse cogi ad fidem: sed considerandam esse illius, qui cogitur, qualitatē. Si quis numquam fidem Christi suscepit in baptismo, sicut sunt Judæi, aut Sarraceni, aut Pagani, is certe non est minimus, & terroribus compellendus ad fidem: quia credere voluntatis est. Si quis vero fidem jam semel in baptismo suscepit, & postea eam deseruit, quemadmodum apostata, & reliqui hæretici faciunt, is merito compellendus est, ut fidem quam semel suscepit, teneat. Ratio autem hujus discriminis est: quia jure naturæ quisque obligatur, ut quod semel promissit, reddat: & sic ex eodem jure oritur, ut potestas publica possit illum cogere ad promissa servanda. Licet enim cuique liberum sit aliquid promittere, vel non promittere: tamen postquam illud promissit jam non est in ejus potestate, servare promissum, vel non servare. Nam per promissionem suam se subdidit potestati publicæ, ut possit ab ea ad servandum promissum compelli. Idem profus dicendum est de voto, & redditione voti. Vivere siquidem libertatis est, reddere autem necessitas. Ad primum quidem nemo cogitur, ad alterum vero iuste quisque compellitur. Judæis, & Sarracenis, & cæteris infidelibus liberum est fidem velle suscipere, vel non suscipere. Liberum dico non videtur ad beatitudinem consequendam, ita ut sine fide possint vitam consequi sempiternam sicut cum ea: sed liberum dico, quoad publicam humanam potestatem: quia non sunt in hoc publicæ potestati subiecti, ut possint ad fidem Catholicam suscipiendam compelli. Postquam autem jam fidem in baptismo susceperunt: quia tunc se illam in potestatem servaturos promiserunt, merito ad id, quod susceperunt tenendum, & quod promiserunt servandum, compelli possunt. Hæc nostra sententia confirmatur auctoritate Concilii Toleranæ quarti, quod in capite suorum decretorum 56. postquam definiat Judæos & Sarracenos non esse ad fidem Catholicam cogendos, ita ait: Qui autem jam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti: quia jam constat eos sacramentis divinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis & sanguinis Domini extitisse participes: oportet, ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemaretur, & fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. Hæc Concilium Toleranum. Quæ verba habentur in volumine decretorum in cap. de Judæis 45. distin. Ex quibus verbis clarissime patet hæreticos esse ad fidem Catholicam, quam deseruerant, cogendos. Quod autem obijciunt, neminem esse cogendum ad id, ad quod inutiliter cogitur, fateor. Sed numquid hæreticus inutiliter cogitur ad fidem suscipiendam? Minime. Quia multiplex ex hac compulsionē succedit utilitas. Prima est ipsius hæretici emendatio, quæ ex punitione facile oriri potest: quoniam sæpe aliquid timore incipitur, & tandem perfecto amore finitur, & tunc (ut Beatus Joannes in sua 3. Canonica Epistola cap. 4. ait) *perfecta caritas foras mittit timorem*. Sed obijciunt, multis ista non prodesse: sed per tales poenas multos factos Christianos fieri, qui & si publice se dicant fidem tenere, mente tamen negant. Huic objectioni ego juxta Beatum Augustinum respondeo, quod non ideo contemnenda est medicina: quia aliquorum insanabilis pestilentia per illa non sanatur. Non est enim vitium medicinæ: sed morbi, cum ea, quæ aliis

morbis medicina succurrit, alicui ejusdem generis morbo non medetur. Deinde etiam si aliquibus hujusmodi compulsionē ad salutem non proficit, non tamen ideo inutilis censenda est: quia tunc publica consideranda est utilitas, quæ multo major est, quam privata. Nam per talem punitionem cohibentur hæretici, ne suas hæreses publice prædicent, & doceant: & sic sua pestifera doctrina totam rempublicam inficiant. Magna siquidem est totius reip. utilitas, si illa à pestiferis hæreticorum doctrinis immaculata custodiatur. Unde colligimus melius esse, hoc est, minus malum, occultos hæreticos tolerare, quam publicos permittere: quia hi per efrænantiam, licentiosamque audaciam multo nocentiores sunt, quam illi, qui timore poenæ, veluti fræno quodam cohibiti, in publicum prodire non audent. Secundo sic arguunt Hæretici verbis, & rationibus convincendi sunt, non sunt ergo poenæ, & afflictionibus ad fidem cogendi. Consequentiam dicunt esse notam, & assumptum probant: quia B. Petrus docet, *debere nos omnes esse paratos reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in nobis est, fide*. Fateor quidem ( & hoc ipsum jam supra docui) bonum esse prius hæreticos verbis admonere, rationibus illos juxta eujusque hæretici conditionem applicandis. de sua hæresi convincere: sed quia multi tunc adeo perniciter, & iudurati, ut citius frangantur, quam emendantur, opus est circa illos id agere, quod B. Hieronymus ait: *Qui blando verbo (inquit ille) castigatur, & ne corrigatur, necesse est, ut acrius arguatur*. Cum dolore abscondenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Hæc ille. Pastor, qui videt lupum invadentem gregem ovium, vocibus primo contra illum clamat, ut vel sic illum à grege arceat: & si vocibus illum minime deterrerit, conficit, baculo, & funda, & gladio, & sagitta, si opus est, illum aggreditur, ut e grege propellat, & sic oves illas custodiat. Pastores sunt Ecclesiæ Prælati, qui vigilat super subditos, tamquam super oves sibi commissas, pro quibus sunt Deo reddituri rationem. Lupi autem, qui his ovibus maxime nocent, hæretici sunt, de quibus Saluator noster apud Matthæum cap. 5. ait: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Et Paulus in Actibus Apostolorum, hæreticos appellavit lupos sic iniqui: (*Act. 10.*) *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parentes gregi*. Ne igitur hæretici aliis noceant, oportet illos tamquam lupos rapaces flagellis, & fustibus percutere, si admonitione blanda non compescuntur. Coguntur medici multas, & varias perquirere medicinas cum vident usitata, & communia remedia non proficere, & quo magis incurdescunt morbi, eo efficaciora sunt quaerenda antidota, quæ illos ab humano corpore citius, & melius propellere valeant. Apertissimum certe, & optimum salutis medicamentum circa hæreticos ad fidem reducendos, est lenitas & mansuetudo, per verba monitoria, & sermonum blanditias. Cum vero hoc pharumacum, ob induratum hæreticorum malitiam, nihil illis prodesse cognoscitur, debent hi, quibus talium morborum est cura commissa, asperioribus in illos, & acerbioribus uti medicamentis. Nam Dominus, & Redemptor noster Jesus Christus totius lenitatis, & mansuetudinis exemplar, factus ex funiculis flagello nummularios omnes è templo ejecit, oves quoque, & boves eorum, æs illorum effudit, & mensas subvertit. (*Joan. 2.*) Si hoc nummularis fecit, multo acerbiorum se hæreticis præstitisset: quoniam multo gravius hæreti-

co-

corum, quam nummulariorum est peccatum, & multo plus hæretici, quam nummularii Ecclesiæ nocere possunt. Tertio sic arguunt hi, qui pro hæreticorum impunitate contendunt. Perfecta vivendi forma, quam Christiani omnes tenere debent, in sacro Evangelio, & in Pauli, & cæterorum Apostolorum Epistolis plenissime continetur. Evangelium autem, aut Apostolorum Epistola non docent Christianos debere Principum favorem contra hæreticos implorare, neque Principes debere molestiam aliquam hæreticis inferre: ergo Principes, qui hæreticos puniunt, & qui ad hanc punitionem Principum favorem implorant, contra Christi, & Apostolorum doctrinam faciunt. Huic objectioni dupliciter respondeo. Primo quidem nego nullam esse in sacro Evangelio, & in Apostolorum epistolis, de hæreticorum punitione doctrinam. Nam Christus Saluator noster de fratre peccatore reprehensio, & non emendato loquens, apud *Marc. 18.* ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Et paulo ante in eodem cap. dixit: *Vae homini illi, per quem scandalum venit: expedit enim ei, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundo maris*. At nulli sunt, per quos gravius nascatur scandalum, quam per hæreticos: expediens igitur est, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundo maris. Et Paulus Apostolus præcipit hæreticum hominem semel, & iterum admonitum fore ab hominum consortio devitandum. (*Tit. 3.*) Et Galatis scribens satis aperte insinuat hæreticos ab hominum communione repellendos sic inquit: (*Cap. 5.*) *Utinam abscondantur, qui vos conturbant*. Nulli autem sunt qui graviore, & magis noxias turbationes inter fideles excitent, quam hæretici: qui novas quotidie fingunt doctrinas, quibus Dei populum ab unitate fidei separare contendunt. Deinde & si in sacro Evangelio, aut Apostolorum Catholicis Epistolis nulla de hæreticorum punitione reperitur aperta doctrina, non tamen ideo consequens est illorum punitionem non esse justam. Quoniam tunc consulto, & ex industria, hæreticorum punitione tacita fuit, ne fides sacri Evangelii humane tribueretur potentia. Nam cum ea, quæ fide creduntur, omnem humanum superent intellectum, oportebat fidem Evangelii divinæ ascribere virtuti, & non humanæ sapientiæ, aut potentia. Propter hoc Christus Saluator noster primos discipulos suos, per quos fides Evangelii prædicanda erat, non sumpsit Philoſophos, aut alios viros doctos: Sed simplices, & idiotas, & profus illiteratos. Ita etiam ne eadem fides humanæ imputaretur potentia, oportuit fidem hanc non per Imperatores, aut Reges, aut Duces, aut quoslibet alios mundi potentes: sed per homines pauperes, & infirmos, & impotentes per totum orbem prædicari. Postquam autem jam semel per totum orbem fides Evangelii fuerat prædicata, & Principes terræ vivificæ Crucis vexillum portantes sub Christi nomine militare ceperunt, & diademata Regum obedientia fidei se subdidit, jam tunc oportuit, ipsam fidem contra hæreticos acerbissimos ejusdem fidei hostes, Regum & Principum armis fortiri, & eorum auctoritate, & majestate consolidari. Quemadmodum enim olim David licet Rex erat, & ex mandato Dei per Samuelem Prophetam unctus, patienter expectavit, & mansuete cum Saule egit, donec Deus Saule de medio sustulit, quo è vita sublato, Regalia omnia exercuit, sic etiam Ecclesia non est à principio potestate gladii materialis in suos subditos usata: sed cum omni mansuetudine expectavit,

Tom. II.

donec Deus jugo suo colla Regum terræ subderet. Quarto argumentantur contra nos ab exemplo Apostolorum, & aliorum Ecclesiæ procerum, qui in principio nascentis Ecclesiæ, fidem Catholicam verbo, & exemplo perfectissime docuerunt. Illi enim (quamvis multi tunc erant hæretici videlicet Simon Magus, Menander, Saturninus, Cerdon, Ebion, Cerinthus, Marion, Valentinus, alique plures, quos enumerare, non est opus, numquam tamen leguntur Principum terræ favorem, aut auxilium contra hæreticos implorasse, neque ab illis petiisse, ut hæreticos poena aliqua puniret, qua illos ad Catholicam fidem redire compellerent. Non licet igitur Christianis nunc favore Principum hæreticos persequi, alioquin discedent longissime à Apostolorum imitatione, quod maxime reprobandum est. Hanc objectionem (ut testatur Augustinus super Joannem) opposuerunt Donatistis qui hæreticos persequerentur. Sed hanc objectionem facile refellit Beatus Augustinus dicens, quod in principio nascentis Ecclesiæ ideo Apostoli, & eorum successores non petierunt Principum favorem contra hæreticos: quia nullus tunc Imperator, aut Rex obediens Evangelio, nullus tunc fidem Christi Redemptoris nostri susceperat. Sub illis quidem temporibus principes Romani fuerunt Nero, Domitianus, Trajanus, Decius, & alii similes crudeles tyranni, qui omnes fidem Catholicam acerbissime sunt persecuti. Nondum tunc impletum fuerat, quod Spiritus Sanctus, per os David prædixerat. (*Psal. 2.*) *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Et iterum: (*Psal. 71.*) *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes servient ei*. Quomodo Apostoli, & qui illos proxime sunt secuti, favorem, & auxilium tunc peterent, ab illis, quos sciebant esse fidei Christianæ apertissimos hostes? Non enim tam stupidi, & dementes erant Apostoli: ut ab his, quos optime noverant, fidem Catholicam ardentissime persequi, favorem pro ejusdem fidei tutela contra hæreticos peterent. Quod ergo Apostoli, & illorum proxime vicini, non petierunt favorem Principum contra hæreticos, non fuit quia hæretici non fuissent punitione digni: sed quia gladius Gentilium Principum, & Imperatorum nondum serviebat Evangelio. Postquam autem Imperatores sacro baptismate sunt abluti, & Christo nomina dederunt, & de ejus nomine gloriari ceperunt: jam tunc Christiani favorem Principum contra hæreticos petere non dubitarunt. Nam à magno Constantino viri Catholici in Concilio Nicæno petierunt auxilium, quo possent hæreticos extirpare, quorum petitioni piissimus Imperator libentissime annuit, & sic Arrium cum suis asseclis damnavit exilio: quia fidem Nicæni Concilii volebat recipere. Theodosius Imperator punivit hæreticos Manichæos privatione omnium bonorum suorum: privavitque illos omni hæreditaria successione. Horum exempla sequuti alii Imperatores, & Reges Christiani, varias successu temporum hæreticos leges ediderunt: ut per legum severitatem, insanam hæreticorum audaciam compescerent. Hac etiam de causa (ut Augustinus ait) cum multi ex septuaginta discipulis à Domino, & Salvatore nostro discessissent, & arbitrio suæ malæ, & impiæ discessionis ille eos permisisset, cæteris duodecim, qui permanerant dixit: (*Joan. 6.*) *Numquid & vos vultis abire?* Hoc quidem tunc Saluator noster fecit: quia quamvis magnam haberet tunc etiam potestatem, qua uti potuisset illos puniendo, & compellendo, prius tamen elegit commendare humilitatem.

Bb

Tunc